

21. *O montes in Gilboa, neque ros, neque pluuia sit super vobis,
neque super agris oblationum.
Nam ibi projectus est clypeus heroum, clypeus Saulis, non
(amplius) inunctus oleo.*
22. *A sanguine confossorum, ab adipe fortium, arcus Jonathanis,
nunquam aberravit.
Et gladius Saulis, nunquam reversus est incassum.*
23. *Saul & Jonathan, amabiles & chari in vita sua, neque in
morte separati sunt.
Aquilis leviores fuerunt, leonibus fortiores.*
24. *Civitates Israelis, super Saulem flete;
Qui vos vestiebat coccino cum hilaritate, qui inducebat
ornamenta aurea vestimentis vestris.*
25. *Quomodo ceciderunt heroes in praelio,
O Jonathan, super montibus tuis confossus es,*
26. *Angustiis afficior propter te, o frater mi Jonathan, dulcissi-
mus mihi fuisti.
Sanctior mihi fuit amor tuus, amore mulierum.*
27. *Quomodo ceciderunt heroes, & perierunt arma bellica?*
- Davidem hac lamentatione populum Judaicum ad arcum tra-
ctandum excitasse, nullum est dubium. In ea enim osten-
dit partim damnum Israelitis illatum, nullo medio nisi dili-
genti arcus peritia refarciendum; partim collaudat digne he-
roas arcus peritissimos, quorum mors inopinata & immatu-
ra arcus & belli peritia erat ulciscenda. His positis non o-
pus est, ut cum aliis *Librum Recti* in laudem Saulis conscri-
ptum, in aliis libris sacris quæramus, vel cum quibusdam pro ca-
nonico amisso habeamus. Est enim extra omnem dubii contro-
versiam positum, *Librum Recti* continuisse carmina lugubria,
in obitum Saulis composita, patetque facile ratio, cur carmi-
na illa, *sepher haijaschar*, panegyricus istius *Recti* vel narra-
tio de isto *Recto* nuncupetur, Hebræi enim de mortuos re-
ctos & justos appellarunt, quos nos beatos nominamus. Hinc
Scriptor sacer Saulem, cujus obitus fecerat mentionem, re-
spexit,